

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. IV - N. 1

1972

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1972

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocutiones

- I. Iis qui apud Gregorianam studiorum Universitatem, « Cursui renovationis canonicae » interfuerunt 3
- II. Ad Praelatos Auditores, et Officiales Tribunalis S. R. Rotae 5

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

S. Congr. pro Doctrina Fidei

- Declaratio ad fidem tuendam in Mysteria Incarnationis et SS. Trinitatis a quibusdam recentibus erroribus 9

Secretaria Status

- Notificatio 14

Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis

- De promovendis ad Episcopatum in Ecclesia Latina 15

S. Congr. de Disciplina Sacramentorum

- Instructio de quibusdam emendationibus circa normas in processu super matrimonio rato et non consummato servandas 21

S. Congr. pro Clericis

- De obligatione Sacrum litandi pro populo 29

Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis

- Responsa ad proposita dubia 30

ACTA COMMISSIONIS

- Coetuum studiorum labores 31
- De procedura administrativa 35
- Opera consultorum 39
1. De clericis et S. Hierarchia 39
2. De sacramentis 51
- De SS. Eucharistia 51
3. De iure processuali recognoscendo 59

DOCUMENTA

- Oratio Card. P. Felici 73

- NOTITIAE 79

bus determinantur officium et ius advigilandi ut Missarum onera adimpleantur (can. 842) quibusque adnotatio Missarum celebrandarum ordinatur (can. 843 et 844) (W. Onclin, *Relator*).

3

DE IURE PROCESSUALI RECOGNOSCENDO

I. PRAESENS LABORIS STADIUM

RELATE AD DISTRIBUTIONEM TOTIUS MATERIAE

1. Supra¹ iam tradita est delineatio architecturae generalis materiae processualis.

Relatum est in intentione Coetus fuisse construere *tres processus genericos seu typicos: contentiosum, criminalem et administrativum*; dein descendere ad redigenda schemata *processuum specialium*, qui in aliquo deflectunt a typo vel a typis iudicialibus primariis in quibus inscribuntur.

Inter *processus speciales* praevidebantur imprimis *causae matrimoniales*, quae proponi possunt sub quadruplici obiecto: *a)* causae nullitatis; *b)* processus dispensationis super rato; *c)* processus dispensationis in favorem fidei; *d)* causae separationis.

Sequebantur, in adumbratione generali, causae *contra sacram ordinationem*, et *nonnulli processus ordinis administrativi*, similes illis quae nunc continentur in cc. 2142-2185 C.I.C.

2. Nunc muneris est nostri referre, ex illa delineatione, quid constructum sit, quid adumbratum, quid tantummodo praevisum, et monstrare quomodo pedetemptim singulae tesserae suum occupent locum, ita ut integrum musivum opus componatur.

a) *Iudicium contentiosum* recognitum est.² *Iudicium criminale* habet iam suum schema, breve et perspicuum (constat tantum 14 canonibus), dispositum a Coetu de iure poenali.³ *Processus administrativus* praesto iam est in suo completo schemate, omnino novo in lege

¹ Cfr. *Communicationes*, 2, 1970, pp. 183-184.

² Cfr. *Communicationes*, 2, 1970 pp. 184-188.

³ Cfr. *Communicationes*, 2, 1970, p. 100.

Ecclesiae, parato a peculiari Coetu Consultorum.⁴ Ita tres processus typici iam habentur.

b) Quoad *processus speciales* recognitae iam fuerunt *causae nullitatis matrimonii*, in quibus inductae fuerunt permultae innovationes etiam magni momenti.⁵ Imo animadverti potest materiam hac in re iam dispositam praestitisse basim ad normas promulgatas a Summo Pontifice per Litteras Apostolicas « Causas matrimoniales » diei 28 martii 1971.

c) Alia additamenta dein obvenerunt, de quibus infra.

II. DE PROCESSU CONTENTIOSO SUMMARIO

3. *Locus huius processus in architectura iudiciali.*

a) Est processus *specialis*, non ratione materiae, sed *ratione formae*, seu non comprehendit in se certam aliquam materiam pertractandam (sicuti processus dispensationis super rato), sed est trames iudicialis per quem nonnullae quaestiones possunt instrui et definiri.

b) Habet, tamquam suum genus, iudicium contentiosum, a quo deflectit in summa celeritate qua gaudet.

c) Longinquam radicem habet in Const. « Saepe » Clementis Pp. V, et recentem expressionem in Codice Orientali: « De iudicio contentioso coram unico iudice » (cc. 453-467). Relate ad vigentem Codicem constituit omnimodam novitatem.

4. *Natura et nomen processus summarii.*

a) Est processus iudiciarius *radicitus simplificatus*, manente substantia contradictorii, actionis, exceptionis, probationum, publicationis, discussionis et sententiae motivatae.

Haec omnia, tamen, obtinenda erunt *faciliter et celeriter*. Ideo praetermitti debent omnes sollemnitates, omnia temporis intervalla non stricte necessaria, et permultae scripturae.

b) *Fulcrum* huius processus est *audientia*, quae respondet tribus necessitatibus simul, nempe: aa) *collectioni probationum* (examen partium, testium, documentorum); bb) *publicitati earundem probationum*, quae colliguntur praesentibus partibus earumque patronis, et ideo sup-

⁴ Cfr. *Communicationes*, 2, 170, pp. 191-194; et etiam supra p. 35 sq.

⁵ Cfr. *Communicationes*, 2, 1970, pp. 188-191.

plet publicationem actorum, qua tempus teritur; c) *discussioni causae*, quae oretenus fit a patronis ante iudicem.

c) *Nomen* huius processus forsitan non est perfectum, quia vox « summarius », iuxta communem profanum usum, sapit aliquid nimis leve et incomptum, seu per summa capita consideratum.

At terminus aptior difficulter invenitur, et vox « summarius » cognoscebatur a veteri iure canonico, et etiam nunc adhibetur in eodem sensu in legislatione gallica.

5. *De sede processus summarii in distributione geographica tribunalium.*

Communis habetur nunc proclivitas et impulsio ad erigenda tribuna-
lia regionalia et interregionalia, quibus non tantum causae nullitatis
matrimonii, sed fere omnes controversiae demandentur.

Ast processus summarius, si longe a sede partium et testium cele-
bretur, si avulsus a sua humo evolvi cogatur, amittit suam efficaciam
atque functionem.

Ex alia parte dedecet omnino quod in dioecesi, apud Episcopum
— iudicem natum quoad illam portionem populi Dei — pereat vel
minima administratio iustitiae.

Quapropter Coetus proponit quod in unaquaque dioecesi habeatur
tribunal saltem ad causas, quae pertractantur per processum contentio-
sum summarium, disceptandas et definiendas, quamvis in provincia
ecclesiastica habeatur tribunal regionale vel interdioecesanum pro con-
troversiis maioris momenti et difficultatis.

6. *De obiecto processus summarii.*

a) Quenam materiae dilui possint per istum alveum, pendet
partim *a iure communi*, partim *a iure particulari*.

b) *De iure communi* (utique condendo, sed iam distincte propo-
sito: cfr. infra, n. 13) demandatur huic novae formae processuali,
causae separationis coniugum. Sed probabiliter, quando habebitur con-
spectus plenus et synopticus totius telae iudicialis, processus iste, flexi-
bilis et celer, proponetur in aliis controversiis, non omnino gravibus,
quae exigant promptam solutionem ob bonum animarum et cessationem
simultatum inter entia vel communitates ecclesiales.

c) *De iure particulari* hoc instrumentum iudicale inservire poterit
ad usus non praevisos in lege generali. Formula quae proponitur haec
est: « Praeter causas quas ius commune submittit processui summario,

Conferentia Episcopalis poterit eidem formae processuali demandare alias controversias, exclusis semper causis nullitatis matrimonii aliisque tribunali collegiali reservatis ».

Ius particulare, sicuti valet extendere, ita potest etiam *coarctare usum huius processus*. Hoc necesse habetur praesertim relate ad « Statuta personalia » vigentia in nonnullis nationibus. Ideo « si quod ius particulare subtrahit a processu summario aliquas causas, istud praevalere debet ».

7. *Constitutio tribunalis in processu summario.*

a) Si simplex est trames, in organo iudiciario sufficiunt essentielles functiones, quae repraesentantur a tribus personis: Vicario iudiciali,⁶ Promotore Iustitiae et Notario.

Animadverti potest, in relatione ad practicas necessitates Dioecesis, quod eadem tres personae poterunt conficere processus super rato, mutato Promotore Iustitiae in Defensorem Vinculi.

b) Sed forsitan unus ille iudex molestam patitur solitudinem, praesertim quando, brevi post finem discussionis, debet sententiam pronuntiare. Ideo praevideatur quoad Vicario iudiciali dari possint ab Episcopo dioecesano duo assessores tamquam consulentes, clerici vel viri laici probatae vitae et bonae aestimationis, qui sessiones participant.

c) Tribunal appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae constituitur, iisdem regulis subiicitur, et est a iure designatum vel a Conferentia Episcopali determinandum.

8. *De evolutione instantiae in processu summario.*

a) Hic non habetur separatio inter quattuor phases (introductionis, instructionis, discussionis et conclusionis), in quibus communiter dispescitur instantia litis. Breviatio quae consequitur est effectus proceduræ oralis, quae valet coagulare diversa stadia iudicii.

b) *Libellus anticipare debet multa* quae in iudicio ordinario postea exhibentur: non solum facta quibus actoris petitio innititur, sed probationes quibus actor vult facta demonstrare, indicatis testibus et alligato exemplari authentico documentorum, ac tandem exprimere conclusiones actoris.

c) Quando conamen conciliationis, a iudice adhibendum, incassum cesserit, iudex, si aestimaverit libellum aliquo fundamento niti, intra

⁶ Cfr. *Communicationes*, 2, 1970, p. 185, n. 12.

tres dies, decreto ad calcem ipsius libelli appposito, praecipit exemplar petitionis communicari cum parte conventa.

d) Haec notificatio effectus habet citationis de quibus in can. 1725. Per ipsam fit facultas parti conventae deponendi intra quindecim dies scriptam responsionem ad exceptiones proponendas.

e) Ex allatis utrimque elementis iudex colligit formulam dubii vel dubiorum, partibus proponendam simul cum citatione ad audientiam.

f) Cum nota specifica huius processus sit celeritas, oportet imprimis refranare excessivum numerum testium, et deinde discussionem scriptam, quandoque omnino academicam, vitare. Ita statuitur quod singulis partibus non liceat plures quam quinque testes adducere.

g) Ita *devenitur ad audientiam*, quae est veluti campus apertus. Nam « probationes colliguntur in audientia, ad quam testes quoque citandi sunt; pars eiusque advocatus assistit excussioni alterius partis et testium », nisi iudex ob rerum et personarum adiuncta aestimaverit aliquod temperamentum ponendum esse huic publicitati.

h) Sed praevideri debet quoque casus in quo, ex responsione praevia partis conventae, vel ex replicatione actoris, pars intelligat paucos illos testes, primitus praesentatos, haud sufficere, cum aliae circumstantiae probandae utiliter videantur.

Tunc in brevi relatione, quam tres saltem ante audientiam dies pars exhibere potest, nonnullos alios testes inducit, quos iudex admittere potest « propter peculiaria causae adiuncta ».

Mens, enim, haec est: quando indicitur audientia, omnia probationis media debent in promptu esse et, iussu iudicis, exhiberi, ut instructio causae absque intermissione compleri possit.

i) *Procedura ista est oralis*: voces testium, explicationes peritorum, documenta allata percutiunt simul sensus iudicis, partium, patronorum.

Sed, ad sententiam dein scripto redigendam, et praesertim in casu appellationis, *aliqualis scriptura* necessaria est. Ideo « in audientia responsiones partium, testium, peritorum, petitiones et exceptiones advocatorum, redigendae sunt scripto a notario, *sed summatim et in iis tantummodo quae pertinent ad substantiam rei controversae* ».

Tamquam adiutorium scripturae, in hac forma orali, admittitur usus « stenographiae » vel usus machinae magnetophonicae, dummodo dein responsiones scripto consignentur et subscribantur a deponentibus.

l) Oportet ut aliquid innuatur *de exceptionibus et de causis incidentibus*, quarum solutio dari debet a iudice in audientia.

Nam procedura huius generis, quae nititur in elemento orali et in publicitate, *aut* in paucis sessionibus sibi brevi succedentibus absolvitur,

aut nunquam resumī poterit post diuturnam interruptionem. Hoc alterum eveniret, si daretur appellatio a sententiis interlocutoriis.

Huiusmodi appellatio non denegatur, sed cumulatur cum appellatione a sententia definitiva, quae, ceterum, intra paucos dies sequitur. Ita quodcumque damnum non erit grave.

In moderandis exceptionibus et solvendis incidentibus quaestionibus quae occurrant, iudex audire potest Promotorem Iustitiae et Assessores.

Sententia non tantum appellatione impeti potest, sed aliis quoque modis ad impugnandas definitivas sententias admissis.

m) Praevideri debet *prorogatio audientiae ad secundam vel tertiam sessionem*, quia, nisi agatur de re evidenti, in unica sessione difficulter contineri poterunt instructio, discussio et decisio.

Ideo « si in audientia probationes iam admissae colligi haud potuerint, vel iudex necessarium duxerit novas probationes colligere, altera statuitur audientia ».

9. De discussione causae et de sententia.

a) Completa instructione, vel illico si tempus suppetat, vel in audientia immediate subsequenti, quando adhuc in memoria iudicis et partium stant probationes collectae, habetur *oralis discussio*.

Haec communiter evolvitur inter patronos utriusque partis, sed ipse actor et conventus possunt illam participare.

b) Dari potest casus unius patroni qui ambas partes defendat, ex. gr. in causa separationis petita ex mutuo consensu. Tunc discussio habebitur inter illum patronum et Promotorem Iustitiae.

c) Ex nuper collectis probationibus, ex discussione causae iam iam exhausta, in mente iudicis stat substantia causae, sufficienter colata per ritum processualem essentialem et concitatum.

Si causa erit simplex, et pars dispositiva decisionis non valde complexa, iudex aestimari potest iam paratus ad sententiam pronuntiamdam antequam audientia dimittatur.

Ideo iudex ab aula abibit et conclave gravibus consiliis capiendis intrabit simul cum Assessoribus (si interfuerint), ut, post deliberationem, conscribat partem dispositivam sententiae. Dein, ad aulam regressus, illam substantiam sententiae proclamabit.

d) Si difficultates adsint, sive in iure sive in facto, quae exigant profundior considerationem, decisio differri poterit, non tamen ultra tres dies. Haec stricta dilatio exigitur a necessaria et stricta relatione pronuntiationis cum audientia.

e) Haec ipsa relatio et systema publicitatis electum in processu summario exigunt quod « *pars dispositiva sententiae statim communicetur ore cum partibus* in fine audientiae discussionis causae vel in alia audientia convocanda non ultra tres dies ». Contraria possibilitas viget in procedura Ecclesiarum Orientalium.⁷

f) Hanc formam oralem sequi debet *procedura scripta*. Ideo « sententiae textus, qui continere debet rationes iuris et facti quibus decisio innititur, quam primum edendus est, *ad summum intra quindecim dies*, et partibus notificandus ».

g) Impugnationes huius sententiae sequuntur generales normas iuris.

10. *Conspectus generalis circa processum summarium.*

a) Cum nunc, prima vice, processus summarius proponatur pro Ecclesia latina, opportunum visum est aliquantisper immorari in eius descriptione veluti practica.

Supra ostensa fuit quasi tela iudiciaria translaticia, de qua tamen in futuro Codice signari non possunt nisi lineae substantiales: de facto canones dispositi a Coetu sunt tantum 17, per quos optatur quod conspectus totus transluceat.

b) Methodus, quae per processum summarium intrat Ecclesiam nostram, est praxis cotidiana et utilis in foro civili.

c) In iudicibus haec methodus exigit agilitatem mentis et alacritatem synthesis, quas usus ipse perficiet.

At metui non debet eius forma dinamica et flexibilis, quae valet funditus breviare tempora nostri lenti itineris iudiciarii.

III. DE PROCESSU SEPARATIONIS CONIUGUM

11. *Difficultates recognitionis huius materiae.*

a) Cum in libro IV Codicis nullibi sit sermo de causis separationis coniugum, potius quam de recognitione loqui debet de constructione nunc primitus facienda.

Reapse ea quae Codex proponit in hac provincia, inveniuntur inter leges substantivas sub titulo « De matrimonio » (cc. 1128-1132), et

⁷ Cfr. M. P. *Sollicitudinem nostram* diei 6 ianuarii 1950, can. 466.

quoad proceduram nihil aliud statuitur nisi quod separatio est « ab Ordinario pronuntiata ».

b) Dubitabatur utrum separatio pronuntiari posset via iudicialia, adeo ut de re interrogata fuerit Commissio Interpretationis, quae, die 25 iunii 1932, edixit causas huiusmodi agendas esse « forma administrativa, nisi ab Ordinario aliter statuatur ex officio vel ad instantiam partis ».⁸

Forsan magis congruum fuisset tribuere parti actrici facultatem seligendi inter alterutrum tramitem processualem.

c) Difficultas augetur quando consideratur regimen omnino diversum harum causarum apud nationes, praesertim ope Concordatorum.

12. De competentia ad huiusmodi causas diiudicandas.

A. Visum est *non expedire* quod causae separationis *demandentur semper civili magistratui*, quia:

a) in can. 1960 (iam recognito) edictum est: « causae matrimoniales baptizatorum iure proprio ad iudicem ecclesiasticum pertinent »: quod principium videtur inderogabile;

b) plura matrimonia sunt aliquando tantummodo canonica;

c) in iure civili haud considerantur quaedam motiva separationis, apud Ecclesiam bene valida;

d) si contrarium statueretur, Ecclesia officium et ius suum abdicaret; simulque consequeretur quod separatio contra legem divinam frequenter imponderetur vel denegaretur;

e) separatio, in foro civili statuta, esset saepe basis supra quam, elapso statuto tempore, ipso iure inscriberetur divortium.

B. Attamen consideratum fuit *nec parva esse incommoda duplicis iurisdictionis*, quia, ad habendos civiles effectus circa pensionem alimentariam, iura oeconomica, custodiam filiorum, etc., pars cuius interest debet quoque adire forum laicum. Duplicis processus pericula sunt:

a) partium fastidium cum iactura temporis et pecuniae;

b) possibilitas duarum decisionum, quae sint sibi invicem contrariae;

c) executio sententiae canonicae potest quandoque fieri delictum in foro civili, v. gr. ob desertionem domicilii coniugalis, subductionem filiorum.

⁸ Cfr. A.A.S. 24, 1932, p. 234.

C. Officium, ideo, haud facile incumbere Relatori et Coetui: cudere formulam quae sartum tectum servaret ius particulare (uti sunt Concordata), quae non abdicaret ius et officium Ecclesiae, quae demum ita esset flexibilis, ut magna ex parte posset vitare incommoda supra relata.

D. Formula disposita haec est:

« § 1 – Causae separationis personalis coniugum baptizatorum ad iudicem ecclesiasticum pertinent, nisi iure particulari aliter caveatur.

§ 2 – Ubi decisio ecclesiastica effectus civiles non sortitur, et quando sententia civilis praevideatur non infensa iuri Ecclesiae, Ordinarius commorationis coniugum poterit, singulis in casibus, perpensis peculiaribus adiunctis, licentiam concedere adeundi forum civile ».

E. Confirmatio disciplinae expressae in § 2 de quo supra, habetur in schemate alterius canonis, qui regit causas de effectibus mere civilibus matrimonii, praesertim relate ad can. 1961, cuius forma fuit mutata in recognitione.

En formula: « Quando proponitur causa separationis quae involvat quaestiones circa effectus mere civiles matrimonii, nisi ius particulare aliud caveat ad normam can. 1961, curet iudex ut causa ipsa, inde ab initio, de licentia Ordinarii deferatur ad civile tribunal ».

13. *Quinam ritus adhibendus in processu separationis.*

a) Iam supra (n. 11) retuli de ineptitudine praesentis disciplinae circa vehiculum processuale, quo duci debet separatio coniugum in foro Ecclesiae.

Ideo Coetus animadvertit opportunitatem radicatus innovandi regimen harum causarum, quae natura sua sunt contentiosae, ac proinde per se solvi debent per processum iudicalem.

Quia vero in his quaestionibus necessaria est brevis tractationis, quae coniuncta sit cum sufficientibus cautionibus ad tutandam dignitatem personarum, instrumentum processuale maxime idoneum ad rem visum est processus contentiosus summarius.

Ast non debet negligi ius partis habendi cautiones adhuc maiores per processum contentiosum ordinarium.

b) Formula proposita haec est: « Quando petitur separatio sive perpetua sive temporaria, instaurari debet processus contentiosus summarius, nisi alterutra pars vel promotor iustitiae instent ut processus contentiosus ordinarius habeatur ».

c) Cum iam habeatur schema completum processus summarii, sufficit remissio ad huiusmodi proceduram, ne inutiliter res repetantur. Dictum est solummodo quod, quilibet sit trames processualis a parte selectus, servari debent normae peculiares procedurae specialis de separatione, quae dein traduntur.

14. *De iudice in processu separationis.*

a) *Sedes et constitutio tribunalis* in processu summario separationis coniugum reguntur a normis quibus definitur processus summarius in genere.⁹ Sedes, ideo, est singula dioecesis; iudex est unipersonalis.

b) Sed quaenam sedes? Can. 1964 iam enumerat distinctas sedes possibiles causarum matrimonialium.

Hisce sedibus Coetus voluit novum forum addere, quod respondet foro facilioris instructionis processus, iam admissum relate ad causas nullitatis matrimonii.¹⁰

Ubi convictus explosit vel omnino perturbatus fuit, ibi sunt testes qui possunt de re referre. Ideo agnitum est competens, in concursu cum aliis sedibus, *forum ultimae commorationis non precariae coniugum*.

15. *De interventu Promotoris Iustitiae in processu separationis.*

a) Hic interventus omnino necessarius videtur, quia rei publicae communisque salutis interest connubia non separari, ob pericula coniugum et filiorum. Etiam in foro laicali in huiusmodi causis intervenit Procurator Reipublicae.

b) Ceterum finis intentus ab hac praesentia non est determinatus ad unum (sicuti evenit pro defensore vinculi), sed potest esse tam pro, quam contra separationem.

c) Formula, a Coetu adprobata, id exprimit: « In quolibet processu separationis coniugum interveniat Promotor Iustitiae, qui curare debet ne absque causa consortia matrimonialia distrahantur, neve legitimae separationis causae haud recognoscantur ».

16. *De evolutione processus separationis.*

a) Cum haec procedura inscribatur in processu contentioso summario, non est necesse tradere normas regentes litis instantiam.

⁹ Cfr. supra, n. 5 et 7.

¹⁰ Cfr. *Communicationes*, 2, 1970, p. 188, n. 25.

b) Quaedam tamen peculiariter voluit Coetus memorare. In primis quod in hoc processu accurate definiatur an separatio temporaria vel perpetua, qua de causa et quibus argumentis petatur, et dein quod probationes collectae innotescant partibus ut se defendere possint, etiam ope patroni.

Et hortatio addita est, quod nempe iudex directe (seu non per auditorem, non per litteras rogatorias) audiat coniuges, de quorum separatione agitur: hoc valet quando causa separationis agitur per ritum ordinarium, quia in processu summario semper habetur auditio directa.

Invitatur quoque iudex ad audiendum parochum de vicissitudinibus vitae coniugalibus. Nexus immediatus iudicis cum partibus et parcho dirigitur imprimis ad relevandam possibilitatem conciliationis.

IV. DE PROCESSU DISPENSATIONIS SUPER RATO

17. *Necessitas in unum redigendi normas regentes hunc processum specialem.*

a) Nunc in Codice leges de hac materia permiscuntur normis quae dirigunt causas nullitatis matrimonii. Imo habetur Cap. III, Tit. XX quod inscribitur: « De iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super rato ».

Ita uniuntur sub unica tractatione duo processus naturae omnino diversae, nempe contentiosae et administrativae.

b) Proinde apparari debet, in novo Codice, sectio aliqua vel caput, in quo colligantur omnes normae essentielles de tali processu, idque non solum ad formalem perfectionem legis, sed ad utilitatem practicam tribunalium.

c) Non est necesse quod Codex descendat ad particularia: his forsitan providebit S. C. de disciplina Sacramentorum per congruam revisionem suae Instructionis diei 7 maii a. 1923.¹¹

d) In notationibus quae sequuntur non omnia referuntur quae a Coetu sunt apparata de hoc processu speciali, sed tantum praecipuae immutationes.

¹¹ Cfr. A.A.S. 15, 1923, pp. 389 sq. Reapse quaedam immutationes inductae sunt per Instructionem d. 7 martii 1972 (A.A.S. 64, 1972, pp. 244 sq.: vide etiam supra in hoc commentario, pp. 21 sq.).

18. *Competentia Episcoporum ad instructionem processus.*

a) Sicuti iam concessum est a Sede Apostolica quoad similes proceduras,¹² proponitur quod competentes ad accipiendum libellum, quo petitur dispensatio, sint Episcopi dioecesani *domicilii commorationis non precariae*¹³ oratoris, qui, si constiterit de fundamento precum, poterunt disponere instructionem processus.

Non videtur congruum idem concedere Episcopo loci celebrationis (Instr. S. C. Sacr., 7 maii 1923, art. 8, § 1), quia hic non sumus in re iudiciali, et ideo non valet « forum contractus »; bene vero valet sedes oratoris, quia agitur de dispensatione.

b) Praevideri debet quod aliquando factispecies proposita importet difficultates sat graves vel quoad ipsam notionem inconsummationis, forsitan a peregrinis doctrinis mutuata, vel quoad dispensabilitatem: tunc Episcopus consulat Sedem Apostolicam, ne inutiliter conficiatur processus circa rem quae tandem acceptari nequit.

c) Poterit quoque evenire quod Episcopus dioecesanus, nimia severitate ductus, reiciat libellum: tunc patet recursus ad Sedem Apostolicam.

19. *De evolutione processus super rato.*

a) Imprimis *de sede*: instructio processus peragitur a tribunali administrativo dioecesis, vel ab Episcopo committitur alii idoneo iudici, semper tamen cum interventu Defensoris Vinculi et notarii.

Agitur de forma administrativa procedendi, et ideo convenit quod impleatur a tribunali administrativo, qui iam praevidetur in schemate « De procedura administrativa ».¹⁴

Non convenit quod commissio detur tribunalibus regionalibus quae agunt causas nullitatis matrimonii, ne permisceantur fora et ne quae-stio subtrahatur Episcopo dioecesano.

b) At, si difficulter instructio in dioecesi expleri possit, demandetur alii tribunali, ad quod partes et testes commode accedere queant.

In hoc casu, tamen, expleta instructione et conscriptis animadversionibus pro vinculo, votum pro rei veritate spectat ad Episcopum committentem, cui iudex instructor simul cum actis aptam relationem tradat.

¹² Cfr. *Normas S. C. pro doctrina Fidei*, 13 ian. 1971, A.A.S. 63, 1971, p. 303: III, 2.

¹³ Cfr. *M. P. Causas matrimoniales*, art. IV, § 1, b.

¹⁴ Cfr. *Communicationes*, 2, 1970, pp. 193-194.

20. De patronis in processu super rato.

a) Coetus via media processit inter contrarias omnino opiniones: nam ex praesentia advocatorum aliqua incommoda obvenire possunt, sed constat quoque causas super rato quandoque naufragium fecisse eo quod nemo suggerere potuit opportuna media instructionis.

b) Ideo pro regula habetur quod patronus non admittitur; in casibus difficilioribus, instante alterutra parte, Episcopus id indulgere potest, praesertim ad hoc, ut pars non privetur consiliario ad plenior instructionem obtinendam.

c) Huius consiliarii munus potest pressius exerceri in casu quo Apostolica Sedes rescripserit ex deductis non constare. Tunc patronus, a parte electus et ab Episcopo probandus, potest acta processus, non vero votum Episcopi, invisere in sede tribunalis ad perpendendum num aliquid grave proponi possit in supplemento.

21. Absoluti secreti instructorii aliqua demitigatio.

a) Hucusque evenire poterat quod pars conventa vel testis, ad nocendum oratori, impune afferret documentum vel aliam probationem, contra quae ipsi nihil excipiendum manebat, cum ignoraret illud argumentum. Idem accidere poterat contra partem conventam, ad elidendam eius resistantiam. Ideo omnigenum secretum vertebatur in damnum veritatis.

b) Exinde provisum est quod, quamvis non fiat publicatio actorum, iudex, quando conspiciat petitioni partis oratricis vel exceptioni partis conventae grave obstaculum obvenire ob adductas probationes, id parti cuius interest prudenter patefaciat.

c) Praevidetur etiam quod parti instanti documentum allatum vel testificationem receptam iudex, audito Episcopo, ostendere poterit et tempus praefinire ad exceptiones praesentandas.

22. Conclusio processus in dioecesi.

a) Clausa instructione per decretum iudicis, acta transmittuntur Defensori vinculi, qui suas animadversiones conscribat.

b) Iudex instructor ad nullam deveniat decisionem, sed acta omnia deferat ad Episcopum, qui votum pro rei veritate promat tum super facto inconsummationis tum super iusta causa ad dispensandum.

c) Notetur quod redactio huius voti et transmissio actorum ad Sedem Apostolicam competit illi Episcopo Dioecetano, qui libellum

acceptavit ex titulis competentiae, de quibus supra (n. 18, a): nam ipse est iudex natus opportunitatis vel minus illius concessionis.

23. *Iudicium Sedis Apostolicae et rescriptum dispensationis.*

A. Quando acta necessario examini Sedis Apostolicae subiecta fuerint, tria possunt evenire:

a) vel rescribitur ex deductis non constare de inconsummatione: tunc, sub ductu eiusdem Episcopi, et ope quoque patroni qui acta examinet (cfr. supra: n. 20, c) inquiri potest num probatio aliunde suppleri queat;

b) vel requiritur supplementum instructionis, et tunc Apostolica Sedes id Episcopo significat, indicando elementa circa quae desideratur clarificatio;

c) vel, admissa probatione inconsummationis et causa ad gratiam concedendam, Summus Pontifex dispensat, et rescriptum dispensationis transmittitur Episcopo Dioecesano qui libellum acceptavit.

B. Derogandum est normae vigenti (art. 105 Instructionis S. C. Sacr., 7 maii 1923), iuxta quam « rescriptum parti postulanti traditur aut remittitur, Ordinario exhibendum ».

Non est congruum, enim, quod Episcopus accipiat talem notitiam a parte oratrice, quando ipse processum confecit, eo vel magis quod, si decisio est infausta, communicatur cum Episcopo, et non cum oratore: ipse fieret tantummodo « durus nuntius » (✠ A. Sabattani, Relator).